



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Dormi Secvre: Vel Cynosvra Professorvm Ac Stvdiosorvm Eloquentiæ,**

in qua Centvm Et Viginti Themata Oratoria. Non Solvm Stvdiosis, Sed &  
Professoribus eloquentiæ, ac pietatis veræ amantibus utilissima &  
pernecessaria explicantur ; Cum Indice rerum atq[ue] verborum locupleti

**Tympe, Matthäus**

**Coloniæ Agrippinæ, 1650**

XXXV. Nihil esse fortius vino.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38994**

# QUATVOR RE- RVM VALIDISSIMARVM,

vini, regis, mulieris, & verita-  
tis encomia, ex lib. 3. Esd. c. 3. & 4. desum-  
pta, ubi à tribus satellitibus regis Darii  
eadem pertractan-  
tur.

## XXXV. NIHIL ESSE FORTIVS vino.

**V**INI encomiastes in EXORDIO brevibus com-  
mendabit scholasticum confutatum, quo inge-  
nui adolescentes ingenii excolendi gratia  
præclaro & illustri argumento proposito concer-  
tant, & pro laureola Palladia depugnant.

NARRATIO: Tres igitur adolescentes, quo-  
rum tu unus sine eius modi certamen inter se con-  
cepisse, ut quam quisque vel validissimam arbitre-  
tur, eam commendet; & qui verissimè dixerit, is  
laureola potiarur.

PROPOSITIO. Proinde te, cui fortè primus lo-  
cus obtigerit, probaturum nihil rerum omnium  
VINO validius esse, nihil maiorem vim habere,  
Seu: quòd licet præclarum hoc mundi opificium,  
& quidquid eius ambitu continetur, ratione,  
mente, & cogitatione perlustrans, non possis non  
singulas eius partes demirari, & plenis, quod aiunt,  
buccis de prædicare, te tamen in præsentia, ex tan-  
ta rerum admirandarum varietate, vini immensam  
& incredibilem fortitudinem duntaxat commen-  
dandam tibi sumpsisse.

CONFIRMATIONIS I. LOCUS, à causa efficiente:  
quòd hic potus, non ab homine, sed à Deo per ar-  
dorem solis, Planetarum nobilissimi, percoquatur.

II. ab

*Pro M.  
Marcello.  
Pelopidas  
tyrannus  
Thebanorum  
oppressus e-  
brios Probus  
Æmil.  
Scythæ à*

II. *ab effectis, quæ suam arguant causam.* Nam  
 PRIMÒ sumissimam hominis partem, mentem,  
 vincit (& extinguit:) quam qui vincit, eum Cice-  
 ro Deo simillimum censet, quod vix quisquam  
 hoc possit, præter Deum: vinum tamen hoc pos-  
 se videmus in pueris etiam viris, & Regibus poten-  
 tissimis: ingenii enim vigore enervato, ex pruden-  
 tissimis archimoriones efficit. Hinc Lacedæmo-  
 nii, ut stultitiam ebriosorum liberis suis ostende-  
 rent, *ελαττω* suos inebriatos in convivio introdu-  
 cebant, & liberis stultissimos illorū mores osten-  
 debant. Unde Ilias malorum manet eas Resp. quæ  
 sunt sub rectore remulento. Et rectè Cato dixit:  
 Vno excepto (Cæsare) neminem unquam ad ever-  
 rendam Rempubl. sobrium accessisse. Vix enim  
 ulla Resp. diu stetit, quæ ebriosorum consilio ad-  
 ministrata est; vix ulla concidit, quam non ebri-  
 osi everterunt; vix ulla non floruit, quæ à sanis ac  
 sobriis gubernaretur. Hinc apud Locrenses e-  
 rat capitale vinum bibere iis, qui erant in magi-  
 stratu, nisi medicus iussisset: & adolescentes Ro-  
 mani non bibebant vinum ante 20. annum. Vinum  
 Noë femora nudavit, Loth, quem Sodoma non  
 vicit, vinum vicit, & cum utraque filia incestum  
 commisit. Holofernes ebrius à Iudith interfectus  
 est. Herodes potus caput Ioannis Baptistæ levissi-  
 mæ saltrici dedit. Nonne vinum in animis mul-  
 torum iram, quasi sævam tempestatem & tantos  
 fluctus excitat, ut status mentis immutetur, ocu-  
 li ardescant, os tremat, lingua tituber, dentes con-  
 crepent, & alternatim vultum maculet nunc suf-  
 fusus rubor, nunc pallor albescens? Nonne Ale-  
 xander Macedo, cum vinum bibisset, in eam rabi-  
 em accendebatur, ut inter pocula intimos & cha-  
 rissimos amicos contrucidaret? nonne, inquam,  
 qui hostes semper vicerat, à vino usque adeo vi-  
 ctus est, ut in tumultu etiam amicos è medio

*Sytha à Cy-  
 ro Rege Pers.  
 prius ebrie-  
 tate, quam  
 bello sunt  
 victi. Insti-  
 nus lib. 1 c. 9  
 Ideo flaminū  
 Diali vesti-  
 tum erat  
 transire per  
 viara, ubi  
 vestium pro-  
 pagines, in  
 sublimi pre-  
 tenta essent,  
 quod nefas  
 esset eum à  
 vino vinci.*

*Herodot. lib.  
 3 exemplum  
 Cambysis re-  
 fert.  
 Potentiss.  
 Reges pro  
 suo libitu  
 tractat, pro  
 arbitrio  
 regit.  
 Ebriosi velut  
 lymphatici,  
 bacchantur,  
 tanquam*

*Rabiosi canes  
inter se cru-  
ento ferro  
concurrunt.*

*Epigram-  
maticus*

*Græcus ait:*

*Bacchum*

*cum Venere*

*aliquando*

*concupuisse,*

*& ex eo con-*

*cubitu pro-*

*gnatam esse*

*filiam Poda-*

*gram. Vide*

*Plin. lib. 14.*

*c. ult. & In-*

*venal. Val.*

*Max. lib. 2.*

*c. 3. lib. 6. c. 11*

*Gel lib. 10.*

*c. 23.*

*Plin. lib. 14.*

*c. 13.*

tolleret? Nonne potu obrutus Clitum suum obtruncavit? Hinc Androcydes ad ipsum scripsit: Vinum potaturus Rex, memento te bibere sanguinem terræ. Tanto Milonem Crotoniensem, Athletarum longè præcipuum, robore corporis fuisse accepimus, ut taurum ictu nudæ manus interimere potuerit; Vinum verò infinitos etiam gladiatorio totius corporis robore præditos athletas è medio sustulit. Efficat enim ut helluones hostilem in modum sibi ipsis manus inferant, in seipsos sæviant, infestissimos morbos, cruciatus, atque adedò exitium volentes videntesq; sibi accersant, ut verissimè dictum sit, *plures crapula quam gladio mori.* Et certè multi Reges, multæ opulentissimæ civitates & nationes prius vino, quàm armis fasces submiserunt. Hic enumerabis varia genera morborum, quibus pitorum, penè porcorum, dixeram, gregem subicit vinum: occupat certè illos senium & occasus vitæ, dum adhuc quàm maximè viribus pariter corporis & animi vigere ac valere debebant.

SECUNDÒ, Vinum non morbis solum corporis, sed etiam animi fortissimos heroës profternit, dum non iræ duntaxat stimulis, eos ut diximus inflammat, sed immoderatis etiam libidinibus immergit, adedò ut non Ætnæi ignes, non Vulcania tellus, non Olympus tantis ardoribus exæstuent, donec eos irretitos implicatosque decipiant. Quare S. Hieron. ad Eustochium Virginem scribens: *Vinum, ait, voluptatis incendium est: unde proximus à Libero patre intemperanti a gradus ad id concessam Venerem esse consuevit.* & Origen. de Loth. *Ebrietas decepit, quem Sodoma non decepit: uritur ille flammis mulierum, quem sulphurea flamma non ussit.* Hic commendabis legem Romanorum, qua mulieribus vini usus fuit interdictus. Egnatii Meccanii uxor, teste Plinio, quòd vinū bibisset è dolo,

lio, interfecta est fuste à marito, isque cædis à Romulo absolutus est.

TERTIÒ, Omnium calamitatum oblivionem inducit, & animos magna lætitia perfundit. Vnde Bacchus Græcis Lyæus, & Latinis Liber, quod curis liberet, est appellatus. Ovid. *Cura fugit, diluiturq; mero.* Socrates, apud Xenophontem, ait: Vinum non aliter lætitiā excitat, quam oleum inspersum igni flammam adauget. Hinc facinorosis ante horam supplicii vinum propinari consuevit: hinc & apud Virgilium Troiani longa navigatione & sævissima tempestate fatigati, Bacchi lætitiā exhilarantur; & alio loco adesse sibi lætitiæ datorem Bacchum votis precantur: & Ovid. 7. *Metam.* fingit nutrices Bacchi ex vetulis juvenes esse factas. Plato vinum à Deo hominibus tributum scribit, quasi remedium adversus Senectutem, ut redire ad juventutem videantur, & mœstitiæ eos capiat oblivio.

QUARTÒ, Quod ars in homine non potest sola, id tamen vino confirmata potest: vinum siquidem è mutis facit disertos, elingues ad dicendum reddit promptissimos. Hinc Homerum ferunt non nisi potum versus scribere solitum, & *Nulla place-re diu, nec vivere, ut cum Poëta loquar, carmina possunt*, quæ ab aquæ potoribus conscribuntur. Ad hæc Plato nullum tormentum ad veritatem elicendam vino efficacius adhibere posse affirmat. Hinc Bacchum pingebant nudum, quia vinum secreta revelat. Cyrus apud Xenoph. ob hanc præcipuè causam ebrietatem fugiendam censet; quod arcana prodat.

*Reges dicuntur multis vigere culullis.*

*Et torquere mero, quem perspersisse laborant,*

*An sit amicitia dignus.*

In PERORATIONE inferes, potentissimum esse vinum, & monebis Auditores, ut moderatè ramforti

*Horat. Fæ-cundicalices  
&c. Ennius  
ipse pater,  
&c. Prover.  
In vino ve-ritas.*

forti & præclaro munere Dei utantur, ne à tam potente hoste incauti opprimantur.

XXXVI. NIHIL ESSE FORTI-  
us Rege.

**I**N EXORDIO benevolentiam captabis à persona Auditorum, quòd vini Encomiasten summa cum attentione & silentio audierint, & orabis ut idem tibi præstare velint, ut non vinum, sed aliud quid, res omnes viribus & potentia superate intelligant.

PROPOSITIO: Te enim planissimis rationibus ostensurum, & vini Encomiasten plurimum à vero aberrasse, seu invictam veritatem plusquam plumbeis pugionibus jugulare voluisse, & Regem potentia res omnes superare.

In CONFUTATIONE refutabis PRIMÒ rationem primam adversari ab absurdo, seu incommodo consequenti, quòd si ab ipso Creatore colligatur vis creaturæ, eadem vi omnia pollebunt, quæ ab eodem creata sunt, & tantum aqua poterit, quantum vinum. SECUNDÒ, *Contradictoria oppositione seu insi- catione*: non enim mentem hominis extinguit vinum, alias enim rursus à se accendi non posset, & à contrario effectu, quòd accendat animos, unde qui sobrii tacent, vino ad dicendum inflammantur. Hinc senum animi, ætate jam debilitati, vino foventur, quare lac senum à quibusdam appellatur. Paucissimi sunt, qui eo obruuntur, illi duntaxat, qui imbecillioris sunt cerebri, quod vini vaporibus facilè læditur: deinde non tam vino, quam eius copia homines obruuntur. Quòd Clitum ebrius Alexander interfecit, non tam ebrietatis, quàm præcipitis iræ factum est. Clitus enim convitiis Alexandrum appetebat. Reliqua per se intelligi, & ex dictis refutari, tuamque tibi partem esse confirmandam dices.

CONFIRM. I. LOCUS, à causa efficiente Regia po-  
sentia,